Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 663
Quelle:
Copyright:

cimonono capitulo. Notant *Mauriani T. cit.* p. CIV. eundem hiatum esse in *Cod. Carthus. Vallis Dei.* Initium *Partis* II. sive *Homiliae* 32. *Quantumcunque gratuitum et utile sit* &c. Abrumpitur Opus in his *Homiliae* 46. in *Caput* 23. verbis: *Si quis autem misterium hoc per illum putat impletum quod in actibus apostolorum legitur.* Quod idem *Codicis Vallis Dei* fatum est, ut adeo Noster ex eo profectus esse videatur. Vide plura *Cod.* seq.

II. *fol.* 164. ut e calce praeoccupo, sequitur: *Sermo crisostomi cum ageretur in exilium.* Initium: *Multi quidem fluctus et vnde immanes* &c. Novam hujus Orationis e Graeco versionem adornarunt *Mauriani,* cui tamen et veterem nostram subjunxere, quod, ut ajunt in *Monito* praevio T. III. p. 414. quaedam complectitur, quae in Graeca serie non comparent. Eorum clausulam: *pro his gratias agamus deo, cui gloria in saecula saeculorum. Amen.* Codex noster non habet.

III. *fol.* 165. p. 2. *Incipit epistola eiusdem ad Cyriacum coepiscopum relegatum similiter in exilium.* Initium: *Age iam iterum vt vulnus accidie in te exhauriam* &c. quod graecum est: Φερε δη παλιν 'απαντλησω της 'αθυμιας το ἑλκος &c. Ex alia versione legitur *T. cit.* p. 667. ubi ejus γνησιοτης a *Montefalconio* in *Monito* praevio contra duos *Anglos* defenditur. *Cucusum*, unde data est Epistola, in *Cilicia* collocat Exemplum nostrum, atque in fine Epistolae haec adtexit, quae in *Edit.* neque graece, neque latine habentur: *Qui credit domino, timet supplicium, qui timet supplicium, abstinet a vicijs, qui abstinet a vicijs, sustinet tribulaciones, qui sustinet tribulaciones, habet spem in deum, cui vero est in deum spes, separat mentem ab omni terrena affectione. Mens vero que est a terrena affectione et vicio separata, habebit in deum caritatem.* Nescio, unde depromtus hic σωρειτης, neque enim ad Epistolam pertinere videtur.

IV. *fol.* 167. p. 2. *Incipit sermo eiusdem post reuocacionem de exilio.* Initium: *Moyses magnus ille dei famulus* &c. Extat *T. cit.* p. 411. latine tantum; nondum enim graece repertus, genuinus tamen. Titulus noster peccat; non enim tunc *Johannes* ab exilio, sed ex *Asia* redierat, ubi Ecclesiam *Ephesinam* composuerat, deturbaratque simoniacos Episcopos.

V. *fol.* 169. p. 2. *Incipit sermo eiusdem tempore eodem.* Initium: *Quid dicam. quid loquar. Benedictus deus* &c. T. *cit.* p. 426. habetur Versio haec antiquior, praemisso textu graeco cum recentiori versione. In *Monito* praevio *Montefalconius* ex tempore post reditum *Preneto* e *Bithynia* habitum autumat.

VI. *fol.* 170. p. 2. *Incipit Omelia eiusdem de sancto Penthecostes.* Initium: *Hodie nobis terra facta est celum non stellis de celo in terram descendentibus* &c. Inter spurias censa a *Front. Ducaeo*